

debet a festo Annuntiationis sanctae Mariae [25 III 1535] proximo [et continuari per integrum annum ad aliud festum Annuntiationis sanctae Mariae]^f inclusive anni Domini millesimi quingentesimi tricesimi sexti, exigetur autem et solvi ac exigi debet eadem ipsa contributio ducillorum secundum antiquam consuetudinem modo videlicet infrascripto.

Ut quilibet cerevisiam coquens venalem, ex quibuscumque braseis fuerit eadem ipsa cerevisia cocta, hoc est sive brasea ipsa sint civium et dominorum, sive ex molendino provenientia et emensurata, sive domi facta, a quilibet vase singillatim vel coctura ipsius cerevisiae iuxta locorum consuetudinem ante hac observatam, exactionem ipsam ducillorum in manus infrascripti exactoris fideliter solvat, ita ut a maiori coctura alias *varu* plures grossi solvantur et a minori pauciores iuxta vasorum numerum et quantitatem et exactoris ordinationem, quam ubi opus et quoties expediens erit, nostra auctoritate faciet et constituet notariosque et custodes tam in civitatibus et oppidis quam etiam in villis iuxta arbitrium suum exactor etiam ipse deputabit et iuramento corporali ad fidelitatem illius astringet. Ternarii vero more vetusto circa quemlibet grossum solvendi pro civitatum et oppidorum reparazione conserventur. Tabernatores vero singuli, cerevisiam coquentes vel coctam a dominis tam spiritualibus quam saecularibus ad propinandum recipientes, a quilibet vase mensurae civilis teneantur per unum grossum in manus exactoris persolvere. Item a medio vase vini alias *polkuffku* florenus cum triginta quadrantibus solvendus. Item a drelink sive Seremiensi vase vini duo floreni cum sexaginta quadrantibus solvendi. Item a quilibet barili malmatici et vini Italici unus *orth* cum septem ternariis solvatur, a barili vero simplicis vini duo grossi solvantur et duo ternarii, a medonis vase communi duo grossi cum duobus ternariis, a cerevisia advectitia sive externa, ut Swidnicensi, Glogoviensi, Theschnensi, Bernoviensi et alia quacumque a quilibet eius vase duo grossi. Et quicumque non soluta prius exactione praefata cerevisiam, vinum, medonem, malmaticum et alium quemcumque potum ex predictis vendere et propinare in fraudem reipublicae praesumpserit, totum illud, in quo fraudem commisit seu committere voluit, irremissibiliter amittet et ad poenam regalem solvendam, quotiens id fecerit, obligabitur capitaneusque loci in tales omnes et singulos fraudem committentes animadversionem debitam, veritate rei cognita, non habentes^g respectum ad quempiam, irremissibiliter exequatur. Ad quam quidem exactionem colligendam diligenterque et fideliter exigendam in ipsa terra^h et districtibus eius generosumⁱ deputavimus vobisque^j omnibus et singulis quorum interest universis mandamus, quatinus praefato exactori sive ab eo substituto de ipsa exactione ducillorum respondeatis et responderi faciatis. Vos vero locorum capitanei eos, qui rebelles vel negligentes erunt et quos ipse exactor deferet, per pignorationes solitas ad solutionem huiusmodi exactionis compellatis sub poenis nostris contra negligentes capitaneos in novis et antiquis statutis descriptis et pro gratia nostra non aliter facturi. Datum Vilnae die sanctae Agnetis anno Domini M^oD^oXXXV [27 I 1535], regni nostri anno vigesimo octavo. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium^k.

**III. MANDATUM SIGISMUNDI PRIMI REGIS POLONIAE
AD CAPITANEOS SUPER PROROGATIONE STATUTI CONTRA HOMICIDAS
ANNO 1510 EDITI AD TRIUM ANNORUM DECURSUM^l**

Sigismundus etc. Universis et singulis subditis nostris, praesertim vero locorum capitaneis in regno nostro consistentibus, manifestum facimus, quia nos ad postulationem statuum et ordinum Regni nostri Poloniae, per nuntios a conventu generali Piotrkoviensi proxime praeterito apud nos factam, statutum contra homicidas anno Domini millesimo quingentesimo decimo in conventu

^f Słowa podane w nawiasie zostały w rękopisie opuszczone przez nieuwagę kopisty. Na podstawie typowego formularza uzupełnił je wydawca AT. ^g habendo AT. ^h Pozostawiono puste miejsce. ⁱ Pozostawiono puste miejsce. ^j Odczyt niepewny. ^k Nazwiska poborców wspomniane zostały w MK₂, t. 52, s. 19.

^l Por. wyżej, nr XVII, I, pkt 22 — sejm walny piotrkowski 1510 r.

Piotrkoviensi editum ad trium annorum recursum iterum innovavimus et prorogavimus, prout innovamus, prorogamus ac in exsecutionem ponendum decernimus. Cuius vigore et secundum eius dispositionem omnia homicidia a tempore finiti conventus praefati commissa et quae deinceps infra huiusmodi triennium quomodolibet committentur, ulcisci et puniri debebunt, verum ne ob absentiam nostram a regno² tam diu homicidia interim commissa maneant impunita, ad petitionem eorundem nuntiorum, nomine praefati conventus apud nos factam, tam nocenti malo sine mora castigando salubre remedium adhiberi et prorogationi statuti praefati eam condicionem adiungere censuimus, committentes et iniungentes, prout committimus et iniungimus, ut capitanei nostri, in quorum capitaneatis homicidia admitti contingat, delationem de homicidio et homicida, quam nobis facere deberent, interim, dum absimus a regno nostro, iudicio terrestri illius districtus, in quo homicida consistit faciant, iudicium vero terrestre vocato ad tribunal suum homicida per citationem, quae ad minus duabus septimanis terminum praecedere et terminus taliter assignatus peremptorium haberi et reputari debet, eum, qui homicidium patraverit secundum tenorem statuti praefati ad poenam ferendam condemnet et condemnari habeat plenam facultatem, quam omnibus iudiciis terrestribus concedimus per praesentes. Condemnatus vero infra sex hebdomadarum recursum tenebitur carcerem a iudicio in arce aliqua districtus, in quo actio talis ventilabitur, demonstratum, ingredi et intrare sub poenis in praefato statuto expressis. Proinde vobis capitaneis, ad quos praesentes nostrae fuerint perlatae, mandamus, ita habere volentes, ut praemissa prius de prorogatione hac nostra statuti praefati cum condicionibus adjunctis per vocem paeconis publicatione, eos omnes, qui in capitaneatis vestris homicidia admiserint, iudicio terrestri, ut praemissum est, deferatis et deferre non negligatis sub poena eodem statuto descripta. Secus non facturi. Vilnae tertia Februarii anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto [3 II 1535], regni nostri anno vigesimo nono. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

**IV. SIGISMUNDUS PRIMUS REX POLONIAE OMNIBUS DOCTORIBUS
ET PROFESSORIBUS UNIVERSITATIS STUDII GENERALIS CRACOVIENSIS,
QUI PER VIGINTI ANNOS LECTIOMI PUBLICAE OPERAM DEDERINT,
PRAEROGATIVAM NOBILITATIS ET INDIGENATUS CONFERT.
CRACOVIAE, ANNO 1535, DIE 11 MENSIS AUGUSTI**

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviaeque etc. dominus et heres, significamus tenore praesentium quibus expedit universis: quia grata habentes Universitatis Scholae nostrae Cracoviensis merita, quibus regnum nostrum in dies magis ac magis illustratur, cum honestis litterarum studii ab eiusdem Gymnasio nostri doctoribus iuventus erudita, tam ad pacis quam ad belli maturescit consilium, indeque prodeunt cultus divini et rei publicae huius acerrimi defensores et propagatores, ac populus nostro regimini a maiestate divina subiectus, ad laudem Dei omnipotentis, ecclesiae incrementum, patriae charissimae decus et gloria, sublata de medio ignorantiae coecitate, in omni doctrina et scientia eruditus cernitur; ne tanta haec Scholae huius erga nos regnumque nostrum, merita non remaneant irremunerata, serenissimi Vladislai Iagielonis avi et antecessoris nostri, regis glorioissimi, vestigia inhaerentes, omnes doctores Studii praefati, Sacram Theologiam, Ius Canonicum, Medicinam, Leges, aliasque honestas scientias et Artes Liberales profitentes, novis favoribus et gratia augere volumus, quo eos ad ulterius de nobis, regnoque nostro benemerendi studium tali benevolentiae nostrae testificatione accendamus. Proprio itaque motu nostro praefata merita attendentes, quae unicuique secundum iustitiam pari gratia retribuere debemus, de paelatorum, baronumque nostrorum consilio et assensu¹, praesenti hoc nostro diplomate statuimus perpetuis deinceps temporibus et in

² Zygmunt I wyjechał na Litwę w czerwcu 1533 r.

¹ Zwrot ten świadczy, iż Zygmunt I zasięgał w tej sprawie zdania senatu (sejm bowiem zastąpił dla siebie nobilitację dopiero w 1578 r.). Głównym zwolennikiem takiego przywileju dla Uniwersytetu był podkanclerzy Piotr Tomicki. Por. H. Barycz, Historia Uniwersytetu Jagiellońskiego w epoce humanizmu, Kraków 1935, s. 128.